

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent.  
ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. &  
Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia  
Lipsiensi, Commentarius In Librum ...**

**Mülmann, Johann**

**Dresdæ, MDCCI**

**VD18 10367071**

Caput XIX.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18377**

tanquam divini oraculi reverentia. Discunt hinc magistratus, si actiones suas cum piis precibus conjunxerint, fore, ut DEUS senatui publico præsto sit, actionesq; civiles nutu suo fortunet & promoveat.

## CAPUT XIX.

**I**n hoc capite nanciscuntur *δοτικηρωλικας*, seu facta sortitione, reliquæ sex tribus suam hæreditatem. Josue verò accipit urbem Thamnath Sarah. Quibus ita absolutis totius terræ Canaan distributio ad finem feliciter perducta est.

### v. 1. *Et egressa est sors secunda*

Hoc est, instituitur jam narratio, quæ hæreditas obvenit Simeoni, & describitur *1. κ̄ διορισμόν* termini ambientis, qui est tribus Juda, v. 1. *2. κ̄ μέσσην* intra eam sitarum urbium à v. 2. usq; ad v. 9. *3. καὶ ἀλιολογίαν*, cur non plures urbes illi tribui assignatæ fuerint: In causa est hominum paucitas, de qua in primis vide Num. I, 22. & cap. XXVI, 14. Creduntur enim pleriq; in Sethim cum principe suo propter fornicationem à Phineis interemti esse. Num. XXV, 9.

### v. 10. *Sors tertia filiorum Zabulon*

Hujus sortis vel hæreditatis urbes occidentales recensentur v. 11. Sarith juxta promontorium Carmeli in angulo Occidentali & Septentrionali sita est: meridiana exprimuntur v. 12. Orientales v. 14. Septentrionales v. 14. & 15.

### v. 17. *Isascharegressa est sors quarta*

Bbbb 3

Hu.



Hujus possessionis latus meridianum ponitur v. 19. Occidentale v. 20. Septentrionale v. 21. Orientale sumitur ex terminis reliquorum laterum, ut sunt Sehon, Anaharath & Bethfemes.

v. 24. *Cecidit sors quinta*)

Sortis Aser latus Occidentale est à Sidon usque ad Sichor Lipnath: Meridianum constituit Zabulon: Orientale Naphtali: lævum seu Septentrionale definit Sidon & mare.

v. 32. *Filiorum Naphtali sexta*

*pars*) Sextæ sortis terminum Orientalem delineant urbes in v. 33. usque ad Jordanem: subintellige locum eum, ubi Jordan effluit, ex Samathonitæ lacu: terminus meridianus est à Jordane inde effluente, & mensurarum terminis tribus Zabulon v. 34. Occidentalis est Aser: à Septentrione limitat eam mons Hermon. Deinde numerantur urbes aliquot à v. 11. usque ad v. 39.

v. 35. *Affedim & Ser*) Quidam legunt

Affedim Ser pro una urbe: alii, ut *Lutherus*, distinctè duas intelligunt. Ut autem urbium numerus conveniat, 4. regulæ generales sunt observandæ I. Quædam urbes sunt *πολυώνυμοι* i.e. pluribus nominibus appellatæ, ut Jebuse eadem est quæ Jerusalem: & Kiriath Sepher eadem, quæ Dabir, quemadmodum etiam mox audimus de Lesen.

II. Non recensentur saltem nomina urbium, sed etiam aliorum locorum, vallium, celebratorum montium & similium.

III. In.

III. Interdum urbes sunt *ὀμώνυμοι*, quoniam unum nomen pluribus tribuitur.

IV. Aliæ urbes ponuntur, ut termini saltem alicujus tribus; quamvis non sint partes: aliæ verò ut partes accipiuntur. Hæc varietas difficilissimam reddit urbium & locorum descriptionem.

v. 34. *In Juda contra ortum*)

Tribus Naphthali non limitatur immediatè tribu Juda: interjacet enim tribus Zabulon, Isaschar & Manasse: Ut igitur textus hoc, quod sicut Jordan sua ex Libanon scaturigine & Samachonitæ lacu exit & terminat Nephthali: ita Judam quoque suo in mare salsum influxu definit. Ideò additur *contra* sive *versus ortum*. Apparet autem hinc, quod hæreditas Jordanis tantum ad Naphthali & Judam, relictis intermediis tribubus, pertinuerit.

v. 40. *Filiorum Dan*)

Hæreditas Danitarum, quæ in hoc capite sexta est, formè triangula describitur versus occasum à Joppe infra Azotura, quæ sunt urbes maritimæ, vicinos habet Philistæos, Ephraim & Judam. Amplificatur autem hæc tribus *ἡγεμονία* nobilis urbis Lésen, quam Danitæ postea vi bellica occupârunt, ut constat Jud. XVlll. ubi eadem urbs vocatur Lais. 3. Reg. Xll, 29. i. Reg. Ill, 10. nominatur Dan: postea à Philippo Petrarcha dicta est *Cæsarea Philippi*; sita fuit ad scaturiginem Jordanis prope radices Libani. Apparet igitur ex omnibus circumstantiis, quod sit ista Lésen. Et quia ibidem dicitur, quod Dan inter cæteras tribus ad illum usque diem non acceperit sortem, intelligendum est id non de

de distributione sortis, sed de ejus occupatione & usu; forte enim ex dissidia & formidine hostium moram fecerunt in occupanda terra, præsertim cum in tribu Juda propter amplitudinem sat hospitii invenirent; aut loquitur textus non tam de sorte ipsa, quam de sortis sufficientia, quia Dan terram tribui suæ sufficientem nondum acceperat,

v. 50. *Thamnath Zarah*) commendatur hæc urbs I. à situ, quia sita est in tribu Ephraim, quasi in medio omnium tribuum, 2. ab adjuncto: fuit ædificata i, e, non tantum à ruina per bellum illata vindicata, sed etiam novis ædificiis & immunitatibus instructa & donata. 3. Posita fuit in ea sedes Ducis,

v. 51. *Partitque sunt terram*) vitiosa est versio: Hebraicum sic exponendum est: *finem fecerunt partiendi terram. Luth. Und vollendeteten also das Austheilen des Landes.*

## LOCI POLITICI.

### I. De domini distinctione.

*Tenere proprium* nequaquam pugnat cum religione Christiana aut bona conscientia, sed est potius confusio dominiorum res DEO odiosa & bonis politiis contraria. Si enim DEUS utcunq; dominiorum communitatem approbasset, eamq; concordiae vinculum esse voluisset, non dedisset mandatum terram Canaan dimerendi & tributim distribuendi, nec Josuæ & ejus collegis tam odiosum & invidiosum munus imposuisset. Est igitur partitio hæc, quam hactenus descripsit autor, indicio & argumento, quod regionum, urbi-

bium, pagorum, villarum, agrorum & similiarum rerum distinctio distinctaque possessio fit res suo genere bona, voluntati divinæ congrua & in humana vita perquam necessaria. Innuitur enim septimo præcepto: Nam furto opponitur proprii dominium, ita ut hoc sublatô, illud committi à nemine possit. Qui enim furatur, is rapit alienum. Alienum autem est, quod alius tanquam proprium possidet.

Patet igitur ex enarrata hætenus terræ divisione, quid roboris insit his & similibus *Anabaptistarum* probationibus: *Sumus omnes membra unius corporis* 1. Cor. 12. Rom. 12. Item: *diligas proximum tuum sicut te ipsum.* Luc. 10. & iterum: *Debemus communione ad invicem habere* 1. Joh. 1. & quæ sunt ejus farinae alia. Ergo bona debent esse Christianis communia. Quasi verò Deus terræ Canaan in dominia propria distinctione facta, voluisset unius corporis spiritualis membra dissipare, omnemque animorum unionem & communitatem tollere.

*II. De Superiorum clementia & in bonis acquirendis moderatione.*

Josue licet sit dux populi, tamen non vult primam & lectissimam terræ partem præripere, id quod procul dubio omni jure facere potuisset, propterea quod ipsi primæ quoque vigiliæ ac in bello prima pericula subeunda fuerint, juxta vulgare dictum: *Qui sentit onus, sentiat & commodum.* Verùm laudatissimus heros appetitum habendi ita moderatur, ut de sua portione tum demum sollicitus sit, ubi tribus omnes suas hæreditates acceperant. Quo exemplo docet omnes, qui ad Imperii gubernacula sedent, ut in periculis pro salute

Cccc

salute



salute patriæ sufferendis primi sint, in participandis verò communibus bonis novissimi. Sed hac tempestate solet id inverti, ut in his sint primi, in illis novissimi. Quid in urbibus usitatus est, quàm ut in vendendis publicis bonis senatores cum suis cognatis & agnatis, quod opimum & optimum est, ad se trahant, civibus verò vel nihil, vel quod deterius est, relinquant. Da heistes: *Meine willige Dienste zuvor* / infidas & ἀσέβητες imitantes matres, quæ cuticulam propriam curant liberis fame contabescentibus. Hoc non est bonæ matris, nec illud boni pastoris & magistratus, cui subditorum commoda primæ curæ esse debent, propria verò secundæ esse debent.

Deinde sicut Josue non vi vel proprio arbitrio rapit urbem, sed eam sibi dari postulat: ita gubernatores sibi caveant à rapinis & injustis expilationibus hominum, quæ autem sibi deberi intelligunt, ea jure postulant, & quod ita sine gravamine à subditis permittitur, eo longius abest ab invidia & communi maledicto. Ut autem Josue præterea urbem illam ædificat & auget; Sic magistratum decet in eam incumbere diligentiam, ut sua industria subinde regno nova addat incrementa & ornamenta: admodum enim, turpe est, non modò non melius, sed etiam deterius imperium successoribus relinquere.

### III. De subditorum officio in pendendis tributis.

Josue urbem postulanti ultro gratificantur Israëlita & quidem æquissimo jure. Non enim gratitudo tantum, sed etiam conscientia dictat, tributum magistratui debitum esse promptò animo persolvendum, id quod *Paulus Rom. XIII, 7. Et Christus Matth. XXII, 21.*

*Red.*



*Reddite Caesari, quæ sunt Caesaris.* Ac propterea debent subditi ex iis, quæ jure postulantur, nihil suis Dominis denegare, imò ne denegare quidem velle. Si quis putat, scribit August. quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum eis, qui hæc curant, potestatibus, in magno errore versatur. Sed modus iste servandus est, quem Dominus ipse præscribit, ut reddamus Caesari, quæ Caesaris sunt, & Deo, quæ Dei sunt. Quamquam enim ad illud regnum vocemur, ubi nulla erit potestas hujusmodi, in hoc tamen itinere dum agimus, donec perveniamus ad illud seculum, ubi sit evacuatio omnis principatus & potestatis, conditionem nostram pro ipso rerum humanarum ordine toleremus; in Exposit. quorundam Proposit. est Ep. ad Rom. Propos. 72. T. 4. Opp. col. 1208. c. d.

## CAPUT XX.

**P**eracta & absoluta terræ Canaan universali divisione, instituitur particularis locorum & urbium electio in hoc capite pro homicidis involuntariis, & in sequenti pro Levitis. Non enim vult Deus eum, qui ex improvise aut ex ignorantia, perpetravit cædem, ab ultore sanguinis capitis supplicio affici, sed in *ἀστυ* aliquo à senioribus istius urbis de fortuito facinore in porta prius probè examinatum recipi, usque ad summi sacerdotis mortem, tum enim impetrata à judicio potestate domum ipsi reverti licebat.

*Partes Capitis 2. sunt: 1. est Ἰσθμὸς, altera ὄρεος, Cccc 2 h. c.*

